





- 1 Baumgarthen s: Sigism: Juc: / meditatio-  
ner guardam de genuina et spuria  
edificatione spirituali Medijps illius  
legitimis et illegitimis, Halle 1747.
- 2 Brunings s: Christ: diff: De Christo  
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Cloppen s: diei, sigirm: diff: De opere  
Dei mirabilioro, Gratijs et Glorioso  
in sanctis rediuvir demonstratu,
- 4 Clauswitz s: Bened: Gottl: diff: de  
spiritu sancto arrahabone, Halle, 1747.

30 29

PROGRAMMA PASCHALE,  
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
JOHANNES PETRVS Schmidt,  
V. J. D. ET COD. PR. PVBL. ORD.  
DE  
RISV PASCHALI,

VULGO:  
*Demi Öster-Gelächter*

PAVCULA PRÆMITTENS,  
GIVES ACADEMIÆ O. O HONORATISSIMOS  
AD LÆTAM QVIDEM,  
SED DEVOTAM PARITER, PROVT.  
CHRISTIANOS DECET, SANCTI HVIVS  
FESTI CELEBRATIONEM,  
PRO OFFICII RATIONE  
DILIGENTER EXCITAT ATQVE HORTATVR.

---

CONRAD. LYCOSTHENES,  
*in apophthegm. p. 725.*

Anonymus abbas, cum qvendam ridentem videret:  
*Coram cælo, inquit, et terra rationem totius vita nostræ  
reddituri sumus, et tu ridis?*



ROSTOCHI,

Typis JOHANNES ACERI ADLERI, SEREN, PRINC. & ACADEM.  
Typographi.

**Q**uemadmodum, *Cives O. O. honoratissimi, VITVLLI-*  
*NÆ & LUBENTIÆ, lætitiæ præsidibus, 1) Roma-*  
*ni divinos honores decreverunt, sic RISUM in*  
*Deos intulisse Græcos, diemque festum instituisse,*  
*annuosque ei DEO ludos cum soleilibus sacris fecisse,*  
*ex Laconum monumentis tam verum est, quam quod*  
*verissimum. Meminit hujus rei Vir Cl. JOANN.*  
*MEURSIUS. 2) Et PLUTARCHUS 3) autor nobis est,*  
*non timoris modo, verum mortis etiam, RISU Sque. atque a-*  
*lliorum ejusmodi affectuum apud Lacedemones fuisse tem-*  
*pla, sigillatimque sapientissimum latorem legum Ly-*  
*curgum, statuam exire RISUI, qua ad risum & lætiam*  
*qyosvis invitaverit cives Neque aliæ etiam gentes*  
*usque adeo sunt ansteræ, ut vel risum ignorent, vel ni-*  
*hil penitus quod ad materiam risus perrinet, commemo-*  
*randum relinquant; id quod satis exploratum habent,*  
*qui in scientia historica, studioque Antiquitatum non*  
*utique sunt hospites. Imo sua quandoque habet Theo-*  
*logus, 4) suaqve JCtus, 5) nec minus Medicus atque Phi-*  
*losophus, 6) qvæ de risu in dicendi disceptationem vo-*  
care

1) Vid. ROSINI antiqu. rom. Lib. II. Cap. 19. p. 177. & 179.  
& PONTANI Attica bellar. p. 159.

2) In miscellan. Laconicis Libr. I. C. 6. p. 23.

3) In Vitis Agid. & Cleom. p. m. 808 lit. C. item: in Vita Ly-

curgi, p. 55 lit. B.

4) Quando vel hilaritatem, sive risum naturæ, in Sara Abrahami uxore, vel risum malitia, qualis fuit in Chamo, cum paternam derideret turpitudinem, memorat, vel etiam controversiam inter parres agitata: *Nun Salvator mundi JESUS Christus utquam riserit?* recenset dirimique.

5) e. g. in materia de Sanuis, injuriarum genere, item in doctrina de servitus feudalibus quandoque *ridiculis & scurribus* de quibus B. WEBERUS conferendas in diss. de investit. & ser-

vit. feudor. iudicris.

6) Testes hæc produgo PLINIUM in hist. mund. ANTONIUM

care cogatur, ut adeo tantum absit, ut hoc argumentum  
sterilitate labore, ut potius non jejunum reputare de-  
beas neque infecundum. Ego interim missa facio  
in praesentiarum exempla virorum, qui nunquam ri-  
dere visi sunt, nec subridere omnino, 7) & aliorum ex  
adverso, qui r/hi deceperunt. 8) Mitto præterea risum  
vel potius cachinnum, quem Olympiæ simulacrum Jovis,  
quod dissovi transferrique Romam placuerat, tanto so-  
no repente edidisse fertur, ut machinis labefactis opifi-  
ces diffugerint 9). Mitto denique varia illa, quæ B.  
ZIMMERMANNUS in analct. miscell. menstr. 10)  
de risu congesit, multis additamentis ceteroquin ex  
BESOLDI thesauro Practico, atque aliunde augenda; id-  
que propter neque risui Sardonio imitor, neque Chio-

A 2

SANTORELLUM Med. Neapol. tr. de risu, & QUINTILI-  
ANI Inst. Orat. Libr. VI Cap. 3. 4. In primis etiam consuli  
hic merentur, quæ B. GUNDLINGIUS commentatus est ad  
istud JUVENALIS.

- do Sapientibus alter  
videbat — siebat contrarius alter,  
in Otio P. III. Cap. I. quod insignitum est: Gedanken über den weinenden Heraclitus und lachenden Democritus.  
7) Pertinet ad hanc classem ANAXAGORAS, pluresve alii,  
a GUNDLINGIO citati, l. cit. §. 8 PHILIPPUM II. Hispaniarum regem, bis tantum per omnem vitam risisse, perhibent.  
8) ZEUXIN pictorem risu emortuum, dum anum a se pictam  
risus affluentius, RHODIGINUS refert Libr IV. Lect. antiqu.  
Cap. 18. Ceterum Philemona Syracusanum, & Philistiona Ni-  
caenensem & Chrysippum risu decepsisse, HESYCHIUS Illusfr.  
prodidit, & SCHOTTUS in phys curios. p. 879.  
9) Rem ita narrat SVETONIUS in Vita Cæs. Caligul. p. m. 427.  
edit, Grævii.  
10) Haec vulgaria sunt, quæ literatis. AUTOR in his analct.  
ex eruditione sacra & profana, philologica, rituali & curiosa col-  
legit. Conf. M. CHR. JUNCKERI Schediagma de Ephemeris  
dibus seu diariis eruditior. p. 13. seqq.

rum risui molli lascivoque, neque *Ionico* risui, in voluptrarios proverbialiter dicto. Namque alius est risus, quem hodie explicandum mihi sumsi, tanquam a scopo festivalis hujus Programmati haut prorsus alienum. *MEGARICUS* ille est risus, proverbii vice in eos usurpatus, qui parum tempestive jocantur, aut quorum artes in contemptum jam abierunt, successione majorum artificum obscuratae <sup>11)</sup>. Et quo unico verbo memet expediāt, *RISUM PASCHALEM* innuo, das *Ostergelächter* vulgo nuncupatum, quem, eum ritum perdidiculum, deridendum magis propono, quam ut ipsi aridendum velim.

Dissolutissimus, risus hicce paschalisi, ille est catchinus, quem sacerdotes <sup>12)</sup> auditoribus in Paschatis die, consulto & dedita opera movere fuerunt soliti. Namque magis in histriōnum & circulatorum mores, hoc festo olim transgrediebantur Pontificiorum concionatores, quam ut docentes se secesserent. Et, quod fidem fere superaret, nisi ex tot indubitatissimis testimoniis, pervulgatum esset, hunc morem adeo sancte custodiri voluerunt, ut inter *necessaria festi requisita* eundem ponere non erubuerint. Hinc non ludicas tantum fabellas, & obscenas sc̄enariorē affanias blaterabant, verum etiam Mimos imitabantur & Pantomimos <sup>13)</sup>; quippe quod *HOSPINIANUS* confirmat ex *OECOLAMPADIO* in *Epistola ad Capiton, de risu pa-*  
*schach-*

<sup>11)</sup> Omnibus numeris absolutissima sunt, quae de hoc risu, certisque risus generibus in amplissimo Philologiae campo, nimurum collectione illa *adagiorum ERASMI, JUNII &c.* sub voce: *risus*, differuntur.

<sup>12)</sup> Vel me taente nemo non intelligere, per vocem sacerdotis tantummodo pontificium concionatorem denotari. Ecclesia etenim Evangelica non habet sacrificatores, sed Presbyteros & Ecclesiasticos ministros, BOEHMER in *Orig. præc. mater. J. Eccil. G. XIII.*

schali, cuius verba huc transcripsisse non piget: Hunc  
morem, inquit, tanquam sacrum cu<sup>m</sup> oditurus frater quidam,  
magno satis ineruditate plebecula plausu deblaterabat tam  
ridicula deliramenta, ut me pudeat ejusmodi nugis chartas  
commaculare, ne aures pias offendam. Eum ego hominem  
non multo post conveni, rationem requirens, unde mos ille  
inolevisset, an paschalibus gaudiis dignus, an ab Apostolis in  
has usque temporum feces profluxisset? Admonuit is me  
inicitæ meæ, qui pulcherrimam concionatorique imprimis  
necessariam <sup>ī</sup>ns eurpænas virtutem ignorarem. In paschali  
die non tam serium esse oportere concionatorem. Sequenti  
die, in convivio multorum, exposui disputationem nostram:  
cœperuntque  $\mathcal{E}$  sodales ridiculas gerras memoriter singuli  
percensere, quas alii alii in locis audierant, eo ipso die scili-  
cer. Unus instar cuculi, placentulus in cava salice devora-  
tis cucullabat: alius simo bubulo incubans, tanquam vitulum  
producturus, appropriantes sibilis, more anserum abgebat: ali-  
us Laurum una nocte cucullo indutum, acerdotem esse perfa-  
debat,  $\mathcal{E}$  ad altare transmittebat. Ita commemorabant, ut  
ante oculos rem depingerent. Aderat qui  $\mathcal{E}$  D. Petri stro-  
phas narraret, quibus hospites symbolis naulis defraudarit:  
Objœniores missas facio. Rogante autem me, num quid  $\mathcal{E}$   
allegorias tenerent? Subito repressus est clamor: nulli in  
numerato erat, quod responderet. Vix tandem senior ait,  
audisse se ex concionatoribus, non id tum agere eos, ut myste-  
ria evolvant, sed ne non festivo  $\mathcal{E}$  comes auditorium exhibila-  
rent. Haec tenus Hospinianus. 14) Et insulsores ad-  
huc sunt, & absurdiores, qvæ hujus furfuris nugæ in  
NICOD FRISCHLINI, BEBELII que facetiis 15) subinde

A 3

inter-

13) De valde mirabili horum arte, qua penitus ætate nostra in-  
tercidit, dissertationem perelegantem conscripsit OCTAV.  
FERRARIUS sub titulo de Pantomimis  $\mathcal{E}$  mimis, quam in Pa-  
tavino Lyceo recitataam, primum in Germania in lucem edidit  
Celeb. JÖH. FABRICIUS.

14) In libro de festis christianorum, fol. 73.

interspersa leguntur, ad qvarum autores optime qva-  
drat ERASMIANUM istud: *Urinam illis locutulejis dor-  
missent omnes, vix dignis, qui concionentur apud anseres,*  
*digni, qui concionentur fratribus asinis ac juibus, imo dignis-  
simi istiusmodi Merdardi, qui funem in collo gestent potius,*  
*quam*

15) Poder eas exscribere. Unicum tamen ineptiarum exemplum  
ex hoc libello proponere licebit, minus obscenum quidem,  
sed valde ineptum. In die resurrectionis Dominicæ, scribit Be-  
belius, fol. 28., concionator quidam Waiblingensis, ut plerum-  
que eo die aliquid joci & facetiarum inter concionandum afferri  
solet, carmen triumphale Salvatoris nostri, *Das Christ ist ers-  
tänden*, illi demandabat inchoandum, qui domi sua imperita-  
bat, non uxor. Sed cum diu neminem inveniret, exclamauit:  
proh! DEum aque hominum fidem, refixit ne adeo animus  
virilis in vobis omnibus, ut nemo viriliter imperet? Tandem unus  
Gc. . . Hoc autem anno, scilicet 1506 in monasterio Marchetella  
in ripa Danubii sito, hoc iterum fecit quidam frater ordinis Pradi-  
catorum. Sed cum nullus virorum incipere vellet, jussit incipere  
mulieres Gc. Tamen & alteram historiam hic addam, quid ob-  
stat? Referunt nimur, sacrificium quendam, putamen &  
corticem avellanæ nucis, quæ utraque byeroglyphicum Reformatæ  
religionis & Lutheranæ modo venditaverat, indignanter proje-  
cisse, nucleus vero, seu religionis pontificia symbolum, fibi vin-  
dicasse wescendum. Sed addent etiam, casu vitiosam nucem  
eum tenuisse, hinc naufragiandum & verribus exesa exspuisse, &  
fidem simul catoliticam. Sic ridiculans elusum est ridiculo, id  
quod sequenti quoque casu accidit, tristiori quamvis eveatu.  
Artig istis, pergitur in B. FRANKENSTEINI Belate. *Über*  
*Pufendorffs Einheit zu der H. St. Cap. IV. §. 23. p. 503.*  
Was von einer Comedie erzehlt wörd, die in seiner  
(Caroli I. Principis Angliae, Philippi IV. Reg. Hilp. sororem  
in matrimonium ambientis) Gegenwart zu Madrid gespie-  
let wurde. Denn da solte ein Protestant und Ca-  
tholick sterben, und dieser von denen Engeln in Ab-  
rahams Schoß, jener aber von den Teuffeln in die  
Hölle gewrungen werden. Und so brachte zwar der  
Teuffel seine Seele wücklich in die Hölle, allein der  
Engel

quam in lumbis. 16) At enim vero ecquis nunc secundissimæ  
hujus γελωθονας primus dici potest parens genitorque?  
Et hoc cum ignarissimus me ignorare fateor; siquidem  
verba ANDREÆ WILKII, eleganter ita scribentis: ne-  
cio, a quo diabolo & ad pilum usque bonæ note raso mona-  
cho factus hic rius paschalis, qui Christi resurrectionis die  
inter concionandum, comedice, plautino verbo, & satyri-  
cum in modum a sacrificiis movetur, non secus, ac si in the-  
atro esset ad Bembifabulam conventum, 17 & mea h̄c fa-  
cere debeo. Nempe, dum in universum omnes eodem  
inquinati fuerunt vitio, nemini, alterum incusare e-  
jusdem, multo minus primum ejus autorem indicare,  
fuit integrum. Ceterum tamen perswasum mihi ha-  
beo, obscuros hujus risus natales præcipue in SECULO  
XI, quærendos esse, utpote barbaro illo & infelici, quo  
in Episcopis & sacerdotibus non peritia S. Scriptura re-  
quirebatur, sed modo, ut legere, ut cantare, & orationem  
Dominicam recitare valerent. 18) Hoc etenim Seculo,  
conquerente ira MALMESBURIENSI Libr. II. Cap. 9.  
apud B. HILDEBRANDUM, 19) tanta fuit negli-

Engel war so unglücklich, daß das theatrum unter  
ihm einfiel, und er darunter ein Bein, die Seele aber  
einen Arm zerbrach. Uebt welchen Zufall, als Caro-  
lus schrecklich lachte, fragte ihn der König, warum  
er doch ein solch Wohlgefallen hätte an der armen  
Leute Unglücke? U erauf Carolus erwiderte, es hätte  
mir wohl rüchig vor, doch der Teuffel mit seinem Pro-  
testierenden bößlicher wäre umgegangen, als der En-  
gel mit mir Catholiken.

16) In Colloquio, Concionis nomine insignito, quo falsissime in-  
epias concionatorum sui temporis perstringit Autor acutissi-  
mus, Juris Canonici studiosiss. multum commendandus.

17) Pliniane I. Orat. 7.

18) Quamobrem non mirum, quod tot lepidissima exempla de  
inicitia & extrema Clericorum istius temporis ignorantia, fa-  
cili opera LUDOVICI congesserit in diff. de Grammatica malis,

19) In diff. Vectorum de Concionibus Cap. III. §. 37.

gentia concionatorum in concionando, ut Satanas & in  
infernorum satellitum literas de tare emiserint ad u-  
niversum ecclesiasticum ceterum, in quibus gratias clero ege-  
runt, quod non modo voluptatibus indulgerent, verum etiam  
prædicationis incuria tantum sibi subjectarum animarum nu-  
merum ad infernos descendere fäcerent, quantum superiora  
secula nunquam viderint. Et quis secure fatis negabit, AU-  
GVSTINVM VALERIVM, Episcopum Veronensem, in  
Libr. I. Cap. 22. Rhetor. Eccles. ubi ita monet: *cavere de-  
bet orator Ecclesiæ, ne cum omnia exemplis vult illustrare,*  
*in illud vitium incidat, quod ante duo secula & quod excurredit,* 20) *in Concione irrepit, ubi ficta, ridicula, & minime*  
*verosimilia pro concione fuerunt recensita, ad risum hunc*  
*paschalem respexit, quum nempe ipsa recitatio fabu-*  
*larum fictarum ridicularumque eundem constituit ab-*  
*solviturque. Reminisco quidem hoc loco *applausus* illius,*  
*in media saepe concione Secul. IVto seqq. excitati, si quid*  
*eleganter a Concionatore fuisset dictum. In abusum*  
*hic postea abiit, 21) hinc pie prudenterque abrogatus.*

Re-

20) Vixit quidem, uti ex ANDREÆ du SAUSSAII continuatio-  
ne libri Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiast. edoceor, hic VA-  
LERIUS Seculo XVI. Verum fatis per verba: & quod excurredit,  
apparet, quod istud fingendi vitium, non Seculis præcise re-  
centissimis adstringendum censuerit.

21) Dum aliqui populum, quando ad ipsorum conciones non  
applaustr, increpaverunt & objurgaverunt. Imo populus in-  
terdum applaustr ad ea, quæ non intellexit. Patet hoc ex HI-  
RONYMO, cuius hæc sunt verba: *Vide, ne tam populi clamor*  
*quam gemitus excitetur. Memini ego, quod Gregor. Nazianz,*  
*Præceptor meus a me rogaretur, ut exponeret, quid sibi vellet in*  
*Luca sabbathum dñe teat? respondit ille: docebo te super*  
*hac re in Ecclesia, in qua, omni populo mibi acclamante, cogeris*  
*invitus scire quod nescis, aut certe, si solus tacueris, solus ab o-*  
*mniibus stultitia condemnaberis, apud BOEHMERUM in J. Eccl.*  
*tit. de missa sacr. Euchar. & div off. §. 102. Addatur o-*  
*mnino HILDEBRAND diff. cit. §. 31. seqq.*

Redeunt præterea in memoriam, quæ supra de festo risus  
annotavi, & sic parum abest, qvin in opinionem addi-  
car, horum alterutrum in causa esse, cur in hoc Seculo  
jam nominato risus hicce paschalis primordia ceperit,  
imo institutus magis sit, quam irrepserit. Vel, qvod  
sacerdotes, platiibus istis instaurandis studentes, paratis-  
simum eorundem impetrandorum medium rifioloquia  
fore, p̄f̄sationem sibi induerint: Vel qvod ex more  
Ecclesiæ Catholicæ circa plerasque Gentilium festivi-  
tates,<sup>22)</sup> in specie quoque paganorum illum RISVM,  
sive HILARITATIS festum, ad magnum lætitiae fe-  
stum, festum nimirum resurrectionis JESU Christi  
transferendum putaverint: Vel qvod etiam seducti for-  
san VIRGILIANO illo monito:

*Incipe parve puer risu cognoscere matrem.*

*Incipe parve puer, qui non risere,* <sup>23)</sup> *parentes*  
*Nec D̄Eus hunc mensa, Dea nec dignata cubili,*

*Eclog. IV. v. 60. seqv.*

male imaginati fuerint, ad *vōderū* cœlestem obtainen-  
dam, æque risu opus esse Christianis, ac in *filiatione*,  
sive agnitione filii *naturali*, infantulis hunc affectum  
commendavit Mythologia. Verum, re consideratus

B per-

22) Quod vitium omnibus modis excusare studuit CASALIUS  
in Opere de veteribus Christianorum ritibus, per singula fere  
capita. Add. MUSSARDI *Vorstellung der aus dem Hey-  
denthum in der Kirche eingeführten Gebräuche*, item  
CHRI TMANNI *Babyl. Heiteleres Mantel*.

23) TURNEBI sententiam *Adversar. Libr. XVI. Cap. 13. nr. 50.*  
cum QUINTILIANO *Libr. X. C. 3.* legentis, &c, ut distinxii,  
interpungentis, ego lecitus sum. Arbitrarer etiam, explica-  
tioni SCHREVELIANÆ: arride tuis parentibus, ut illi tibi  
vicissim arrideant. Nam cui parentes non arriserant, is nulla  
unquam felicitate perfuerit, ut constat exemplo Vulcani alte-  
ram TURNEBIANAM arride puer. EX HIS, QUI non ri-  
sere, parentes D̄Eus & Dea dignati non sunt hunc mensa & cubili,  
præferendam esse.

perspecta, una plures obstant rationes qvæ hoc ut statu-  
am, vetant; in qvibus non levissima est, qvod ob spissas  
ignorantiae tenebras, ut ifto tempore iis involuti e-  
rant monachi tantum non omnes. inter cetera vetusta-  
te in comperta & de plauſu, & de Græcorum DEO R̄iſus,  
& de Virgilio, 24) atqve de Mytho<sup>gico</sup> liberorum r̄isu,  
nihil admodum noverint. Qvare, niſi insigniter fal-  
lor, mera ruditas atqve imperitia, infelices ilæ sunt ma-  
tres, qvæ infeliciorem hunc partum fuerunt enixæ.  
Qvandoqvidem enim tam horribili mentis coecitate  
laborare Monachi non poterant, ut eos fugerit, Domini-  
cam, Resurrectione Christi solennem, laetissimum merito  
esse diem, qvo omnibus credentibus ad vitam ac laeti-  
tiam sempiternam patefactus est aditus: omnem fane  
operam impenderunt, qvo populo jucundiorē eundem  
facerent animosq; recrearent. Sed ut inscītiores fuerunt  
boni ifti homines, pro suo captu, devio fane consi-  
lio, poſhabitis pro excitāda laetitia spirituali argu-  
mentis religiosis, profanas potissimum prædicarunt  
hilaritates, gaudiaqve mundana; 25 satis superqve mu-  
nia impleta, & rite recte qve Paschatos festum celebra-

24) Nam jam tum Sec. V patres ſecularem, quam vocabant, fa-  
ſipientiam, & quovis libros Ethnicorum abhorabant. Imo  
HIERONYMUS ſomnium narrabat, vel verius fingebat, de le-  
ctione Ciceronis, ſimiliumve autorum, DEO exofa. Vid. o-  
mnino Celeb. DN. HEUMANNI Progr. de Ecclſi Hieronymi  
anti-Ciceroniana.

25) Plures abuſus atque ſuperſtitiosos hujusmodi ritus, qui in Pa-  
paru hoc die introducti, e. g. quod Roma ſtatio apud St. Ma-  
riam majorem fiat, item Proceſſio fiat ante Miſſam eō, quod An-  
geli dixerunt mulieribus: Ite, dicite diſcipulis, quod praecedat  
vos in Galilaam. Porro, nihil hoc die comedendum arbitrentur,  
niſi quod a Sacerdote prius benedictum. Item, quibusdam in  
locis, Praefules cum ſuis clericis aleis vel etiam pila ludant, in-  
terdum etiam ad choreas & cantus convenient &c. jam laudatus  
HOSPINIANUS recenſet libr. cit. fol. 73. Et omnium ab-  
ſurdiffiſſi

tum putantes, modo ad *risibiles* suas ineptias *frequentes* elicerint *ritus*, indubitatos *præsentissima* *paschalis letitiae*, indices. Et qvæcunqve demum verior hujus *ritus* paschalisi sit origo, ratio atqve causa: devotissimæ DEO agenda sunt gratiæ, qvi ex hoc incondito pariter atqve joculatorio ritu papali nos eruit, & puram sui verbi prædicationem rursus concessit. Gravissimi multi Viri nugatoriam hanc confuetudinem jam dudum abhorruerant. Papa qvoqve PIUS VI<sup>s</sup> in Cap. II. de *consecrat. miss. in VII.* immoderatos in Ecclesiis *ritus* qvoscunqve, hinc *paschales* etiam, serio damnavit. Verum nec ipsis diffitentibus Pontificiis, maxime sacrorum emendatori, LUTHERO 26) nostro, id debetur, qvod theatricus hicce ritus in ipsa ecclesia papali, *plurimam* *quidem* *partem*, nunc desierit.

Et quid nostri nunc est officii, *Cives O. O. honoratissimi*? Magna certe cautione providendum nobis est, ne sanctissimum Paschatus festum *ripi* transfigamus, hoc est, *sacrilego peccatore* atqve *impuro*, ideoqve derisi exposti, severissimas nobis accelereremus poenas. Est quidem dies, quo Salvator mundi triumphans resurrexit, vere ille dies, *quem fecit Dominus*, in quo letari nos decet

---

surdissimum sane dices morem, quem B. HILDEBRANDUS in exerc. de ritibus sacris § 42. ex DURANDO refert, quod in multis fab Papatu Ecclesis, feria II. *Pascha*, mulieres suos maritos, & feria III. mariti vicissim suas uxores percutiant. Ritus teneatis arcii!

26) Locupletissima testimonia, imo ipsorum Pontificiorum confessiones super hac re, vides in DN. CYPRIANI überzeugender Belehrung vom Ursprung und Wachsthum des Pabstthums, Parte posteriori, qua inscripta est: Schutzschrift vor die Reformation Lutheri, ibi: per tot. Cap. XII. Conf. omnino BOEHMER in J. Eccl. tit. de missa, saor. euchar. & div. off. § 103. sequi.

27) Quem Psalmum, teste DRESSERO de festis, SYNODUS CÆSARIENSIS, ad hoc festum accommodavit.

er, secundum 27) Psalmum 118: Verum lætitia spirituali  
la tandem est, non carni, insana. Væ nobis, si lasci-  
vos risus, mollium voluptatum comites, se etabimur, cœ-  
lestis illius gaudii curam abjicientes. Abominatur di-  
vina justitia ejusmodi *criminosos* risus, unaque nos ab-  
ominatur, quoad iis indulgemus. Clare hoc menti no-  
stræ insinuat Apostolus JACOBVS, Cap. IV 9. 10. Ita  
scribens: Euer Lachen verkehre sich in Weinen, und eure  
Freude in Traurigkeit: so wird er euch erhören. Qua-  
propter, dum cum paulo obis acclamo: Freuet euch!  
non sejungo qvæ statim sequuntur: In dem Herrn,  
ad philipp. II. v. 1. § IV. 4. Dum excito: Lasset uns freu-  
en und fröhlich seyn! Simul addo non disjungenda: und  
Ihm, dem allmächtigen Gott, der das Reich eingenom-  
men hat, die Ehre geben. apocal. XX. 6. 7. Et sic, hunc-  
ce in modum, lætari oportet læto hoc resurrectionis  
festo, ut infinitum Jesu Christi, in humanum genus, a-  
morem speciatim & hoc Resurrectionis beneficium, in cer-  
tissimum Nostræ emolumentum vergens, hilari reco-  
lamus animo; devotissimas salutis nostræ R. stauratori  
agentes gratias, atqve ingenua, sinceræ pietatis edentes  
specimina. Qvod ultimum nunc est, O Mei! sedulo  
assidueqve ponderate, qvod emphatice, apud I. ha. nem.,  
scriptum legimus: Nun ist das Heil, und die Kraft, und  
das Reich, und die Macht unsers Gottes, seines Christus  
worden; Weil der Verfläger unserer Brüder verworffen  
ist, der sie verklaget Tag und Nacht vor Gott. Und sie  
haben ihn überwunden durch des Lammes Blut, und  
durch das Wort ihrer Zeigniß: Und haben ihr Leben  
nicht geliebet bis in den Tod. Darum freuet euch ihr  
Himmel, und die darinnen wohnen. apocal.  
XII. 10. 11. 12.

P. P. SUB SIGILLO RECTORALI,  
IPSO PASCHATIOS FESTO MDCCXLVII.


ad 14


01 A 6501



86

P2





30 29

PROGRAMMA PASCHALE,  
 QVO<sup>O</sup>  
 RECTOR ACADEMÆ ROSTOCHIENSIS  
 IOHANNES PETRVS Schmidt,  
 V. J. D. ET COD. PR. PVBL. ORD.  
 DE  
 RISV PASCHALI,  
 VULGO:  
*Hem Oster-Selächter*  
 PAVCULA PRÆMITTENS,  
 GIVES ACADEMÆ O. O. HONORATISSIMOS  
 AD LÆTAM QVIDEM,  
 SED DEVOTAM PARITER, PROVT.  
 CHRISTIANOS DECET, SANCTI HVIVS  
 FESTI CELEBRATIONEM,  
 PRO OFFICII RATIONE  
 DILIGENTER EXCITAT ATQVE HORTATVR.

---

CONRAD. LYCOSTHENES,  
*in apophthegm. p. 725.*

Anonymus abbas, cum quendam ridentem videret:  
*Coram cælo, inquit, et terra rationem totius vitæ nostræ  
 reddituri sumus, et tu ridis?*



ROSTOCHI,

Typis JOHANNES ACERI ADLERİ, SEREN, PRINC. & ACADEM.  
 Typographi.

